



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 20. Correctus locus è secundo De finibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

Ciceronis more loqui putant. Decipiuntur autem precipuè corrupto quodam loco ex Oratione pro domo sua ad pontifices: quem emendare institui: ut isti, quae se è Nizolij libro germanos Cicerones esse credunt errore hoc suo liberentur. Non enim ita locus ille legendus est: *Omnem diu collectam vim improborum, quae inueterata compresso odio atque tacito iam erumpet actum, tam audaces duces excepi meo corpore.* Sed hoc modo, ut in antiquis libris esse, homines certi & filii digni affirmant: *Omnem diu collectam vim improborum quae inueterata compresso odio atque tacito iam erumpet nata tam audaces duces, excepi meo corpore.*

Correctus locus è secundo De Finibus.

CAPVT XX.

EIUSDEM generis est *odrilicium*: quae inepta vox & nihil planè significans, ita insedit in loco quodam è secundo De Finibus, ut omnes propè iam libere occuparit. ita enim ibi legitur: *Absint etiam formosi pueri, qui ministrent. resplendeat his vestis, argentum, odrilicium, locus ipse.* at in libris veteribus hoc modo: *Absint etiam formosi pueri, qui ministrent. respondeat huic vestis, argentum, Corinthium es, aut Deliacum, edificium, locus ipse.* quae quin vera scriptura sit, non est cur quisquam dubitandum putet. Itaque ipsum quoque resplendendi verbum mihi quidem valdè suspectum est. nam hoc vno loco nitebantur, qui illud, ut Latinum, recipiebant. nunc autem, nisi aliquod aliud testimonium reperiatur, videtur sanè ei quoque lege Papia periculum aliquid imminere. hoc igitur alij cogitabunt.

M. A. N.